

## PRAEFATIO.

---

De Pharmacopoea universali praefaturus ante omnia historiam hujus Libri paucis absolvam.

Philippus Laurentius Geiger, natus Freinsheimii die 30. mensis Augusti anno 1785, morte praematura amicis et literis abreptus die 19. Januarii an. 1836, jam dudum consilium Pharmacopoeae universalis ad novam rationem conscribendae mente sua concepit. At interim consilium supremum, quod rebus medicis in Magno Ducatu Badensi moderandis praeest, cum apud sese constituisset, Pharmacopoeam Badensem elaborandam curare, Geigero negotium commisit, ut primas lineas ad opus propriis humeris suscipiendum duceret. Ad quod cum accingeretur, facile intellexit, id quod potissimum exoptaret, cum officio sibi imposito posse conjungi, et Collegio illi proposuit, Pharmacopoeam Badensem ita cum Universali commiscere, ut Badensis, typis majoribus insignis, tanquam filum rubrum per totum ordinem alphabeticum Pharmacopoeae universalis pertexta posset dignosci. Consilium supremum annuit, id tantum sibi sumpsit, ut quidquid ad Pharmacopoeam Badensem pertineret, comprobaret vel improbaret, quo quidem jure nunquam in paginis impressis inspiciendis usum est. Geigerus igitur alacriter opus aggressus partem primam absolvit, secundam usque ad paginam 281 produxit, quum morbo inflammatorio pectoris graviter tentatus die, quo dixi, animam efflavit et opus inchoatum



reliquit. Winterus, qui librum sumptibus suis excudendum suscepit, Geigero defuncto multam operam perdidit, ut inveniret, qui librum absolvere vel vellet vel posset. Non enim nisi qui pharmacopola diu ipse fuisset vel adhuc esset, ad labores practicos obeundos copiam habuit et materiis, quas perscrutandi causa pararet, uti poterat. Num qui docendi causa tantum partes agit, materias pretiosas, uti Opium, Chinam, Rheum, Mercurium, cetera ad corpora praeparanda adhibebit, nisi ex praeparatis ipsis materiae impensae valorem compensantem commercio elicere queat? Hac de causa qui rem pharmaceuticam docere tantum professus est, Pharmacopoeam conscribendam nec tamen elaborandam suscipiet, nisi magnam jacturam faciendam simul subeat. Inter pharmacopolas, quos libri redemptor adiit, alii latini sermonis inscitiam, alii chemiae cognitionem penitiorum sibi non esse, alii tempus a negotiis non dari, causam interserebant, ut rem recusarent.

Anno 1837 primum mihi proposuit Winterus, ut rem solus susciperem et ad finem denique perducerem. Quum mihi tunc temporis otium esset, patre scilicet dilectissimo adhuc incolumi et pharmacopolium curante, et quia vires meas tali operi subeundo pares putavi, dextram dedi, animo computans, annis duobus vel tribus omnia absolvi posse. Sed res aliter evenit; per septem demum annos temporis et laboris mei summam huic operi impendi. Quidquid novi vel boni profecerim, lectori benevolo dijudicandum derelinquo. In Liebigii Libris annalibus de literis pharmaceuticis publici juris feci, quidquid in elaboranda pharmacopoea vel inveni vel emendavi. Per sex menses methodis concinnandis ad extractorum praeparationem operam navavi. Profiteri mihi liceat, neque temporis neque rerum parsimoniam me habuisse, ut aliquid et re et primo operis auctore dignum proferrem. In rebus chemicis chemiam tantum ducem secutus sum et multorum annorum et laborum fructum in libro condidi; operi ergo gloriolam vindicare audeo, non compilamentum tantum esse. Nil enim facilius est, quam quod quotidie fieri solet, ex centum libris novum conflare.



Jam quae de Libri consilio mihi dicenda visa sint, exponam.

Tota Pharmacopoea uno ordine alphabetico conscripta est; discrimen momenti, quod singulis medicamentis attribuatur, typorum diversitate indicatum est. Maximis scilicet typis, dictis Ciceronis, Pharmacopoea quondam Badensis Geigeri excudenda erat. Geigero defuncto simili consilio medicamenta summae auctoritatis maximis typis imprimi pergebant, quamquam legum auctoritate non amplius erat sancienda Pharmacopoea. Indicant igitur typi Ciceroniani medicamenta ubique usitata, viribus insignibus praedita, quae in officinis pharmacopolarum semper praesto esse debeant.

Singulae voces tali consilio conscriptae sunt: Initium facit nomen usitatissimum lingua latina, germanica et gallica. In eligendo nomine Geigerus recte fecit, nomina antiqua, per longum tempus usitata, postea chemiae studio penitioriter iterum derelicta in lucem denuo proferens. Haec nomina notione chemica omnino carent, ideoque errores chemicos non admittunt, nec literarum progressibus vitiosa vel inutilia fiunt. Exempli gratia vox Calomel medicamentum designat per saecula usitatum et methodis ubique notis praeparandum. Vox brevis est, aliis dissimilis, interpretationis falsae expers. Editores Pharm. Boruss. ed. 3. nomen Hydrargyrum muriaticum mite admiserunt. At hodie scimus acidum muriaticum non existere, neque mitem indolem in corpore inesse, quod saevissimos in corpus humanum effectus possit exercere. Alii Hydrochloratem appellavere, quamquam Hydrogenium non inest. Denique Chloretum, Chloruretum, Protochloratum dictum est, ut a Mercurio sublimato corrosivo, quod Chloridum, Perchloratum, Superchloratum audivit, distingueretur. Ergo veneni saevissimi distinctio a literarum duarum discrimine pendet, quae sola memoria tenentur et facile permutantur. Alii Mercurium sublimatum corrosivum Chloridum, Calomel vero Subchloridum, vel Semichloridum dixerunt, Pharmacopoea anglica Calomel Chloridum, Mercurium sublimatum corrosivum Bichloridum nuncupat. Itaque idem nomen



et Calomel et Mercurium sublimatum corrosivum indicat, secundum opinionem quam quisque auctor de utriusque mixtione habuerit. Id accidit nominibus pure chemicis. Mutatis opinionibus de corporum mixtione mutanda sunt, terminationum similitudine facilius permutantur.

Multa nomina antiqua simili concinnitate gaudent, exempli gratia Kermes minerale, Sulphur auratum Antimonii, Hepa Sulphuris, similia. Kermes, quod Oxydum Antimonii non continet, medicamentum omnino non est. Alii Oxydum inesse, alii deesse voluerunt. Ergo nomina opiniones sequi debebant. Corpora recentioribus temporibus in materiam medicam introducta nominibus chemicis satis bene denotantur, sicut Kalium iodatum, Chininum sulphuricum; non enim nomina trivialia exstant, vel facile corrigi potuerunt, ut in Kali hydroiodinico factum est. Cum igitur de principio cum Geigero consentirem, ut varietas evitaretur, eum cum grano salis secutus sum. Nomen principale synonyma insequantur quantum fieri potest omnia, et in indice leguntur, ut, quod in Pharmacopoea universali praecipue spectandum erat, omnia quolibet nomine citissime reperiantur. Sequitur praeparatio satis accurate descripta, ut ad ejus regulam possit elaborari. Stilo simplici ac brevi uti, comprehensiones longiores complicatasque et expressiones improprias ac poeticas evitare mihi proposui. Praeparationes claudit mixtio chemica et vis. Mixtio chemica ponderibus mixtionis Berzelii definitur, vis plerumque uno vel altero verbo indicatur. Hoc et supervacaneum esse duco in pharmacopoea et paucis verbis fieri non posse. Quis enim vim Opii, Chinae, Calomel, Iodi paucis verbis circumscribat et cui bono? Congruentiae causa eundem modum secutus sum et me excusatum abire volo. Praeparationem excipit, typis paullo minoribus, descriptio qualitatis, depravationis ejusque detectionis, pondus specificum. Tum sequitur usus paucis quoque verbis notatus. Hac de re idem valet, quod de vi dictum est. Agmen claudit consensus et discrepantia Codicum de formulis, praeparandi rationes et animadversiones practicae in corporibus chemicis, in



quibus pharmacopoearum consensum afferre nihil attinet. Non raro praeparandi aliae methodi exponuntur, quae pro re nata interdum conducere possunt. Rationes quoque hoc loco afferuntur, e quibus methodus adoptata ceteris praelata fuerit.

Alterum ordinem voces tenent typis paullo minoribus impressae. Inter has medicamenta et formulae receptae sunt, quae vel hic illic magna laude feruntur, vel saepius in usum vocantur, nec tamen ubique terrarum eadem auctoritate gaudent, sed ad ordinationem medici praeparari debent. Nomen incipit antiquum et usitatissimum si adest, synonyma insequuntur lingua latina, germanica et gallica. Sequitur praeparandi formula spectatissima, codicum et dispensatoriorum dissensus posthac exponitur.

Typis denique minimis voces tertii ordinis impressae sunt, quae vel plane exoleverunt, vel singulis auctoribus tantum commendatae sunt. In hoc agmine turba formularum antiquarum reperitur temporibus pristinis saepius usitatarum et tum temporis hic illic iterum occurrentium. Omnes Pharmacopoeae alicujus auctoritatis fere totae hoc ordine continentur, ex iis, quae minore tantum gaudent auctoritate, selectus medicaminum. Receptae sunt formulae, quae probabiliter adhuc occurrere possunt, tum vero, ut quidquid in iis sit quisquiliarum cognoscatur. In hoc selectu omnibus satisfactum esse haud crediderim, nec fieri id posse in tanta hominum hac de re dissensione. Sunt qui Universalem farragine obsoleta obrutam putent, sunt qui minutiora etiam recipi posse existiment. Opus inchoatum inveni multis formulis, et in his ineptis, repletum, continuari ad eandem normam debebat. Semper ante oculos habui praestare formulas centum supervacaneas adesse, quam unam desiderari. Non enim perlegendi sed pervolvendi causa formulae copiosae adsunt.

Thermometrum Reaumurianum receptum est. Ponderus medicinale divisionem Noricam habet Librae scilicet Uncias duodecim continentis. In singulis formulis diversitatis ponderis ratio haberi non poterat, quia hoc calculum minutissimum exegis-



set, tum quia Pharmacopoea universalis ubique terrarum adhiberi posse debebat et ponderum discrimina ex tabula adjecta computari possunt. Nomina simplicium antiqua prolixiora ubique fere amputavi, scilicet pro Opio Thebaico, Borace Veneta, Croco Austriaco: Opium, Boracem, Crocum ponens, et non nisi in mercabilibus de origine valde diversis, originem addidi ut in Castoreo sibirico, Rheo moscovitico, similibus.

At nunc, quum, quae praemonenda esse censui, dicta sunt, tempus est ut te, Liber, dimittam. I per orbem terrarum, quo te fata ferent, quo vocaberis, mone, consule, doce, quae in te sunt, facile deprome, et virorum peritorum consilium lubenter accipe. Vale.

M O H R.